



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Rosa In Hieme**

**Mertz, Martin**

**Antverpiæ, 1627**

Capvt V. Candido habitu induitur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42750**

## CAPVT V.

*Candido habitu induitur.*

**M**ORIS tunc erat, & etiamnum plerumque est, susceptos pueros non statim ad candidum promouere habitum, ac in Nouitiorum numerum cooptare, sed nigra talari tunica indutos priùs aliquamdiu alere, vt ita & iustiùs animi sui ac futuræ exspectationis specimen alijs de se præbere, & ipsi Ordinis rigorem, Cœnobij disciplinam, hominumque quibuscum viuendum est, mores & affectus periclitari & experiri valeant; ne candido statim habitu indutos, vel ferendis oneribus non sufficientes ac ineptos, vel minùs benè se suamque conuersationem probantes, maiore cum dedecore postmodum dimitti oporteat: quod apud homines huius sæculi, rem non adeò perspectam habentes, probro ignominiaque dari consuevit. In hoc ergo primo quasi tyrocinio, cum talem se noster **VILHELMVS** exhibuisset, vt olim magnum Religiosæ vitæ cultorem se futurum spem haud dubiam faceret; candido Ordinis habitu indutus, & ad animi sui vnicum tunc votum, vero Nouitiorum tyrocinio annumeratus fuit: quod ille integrum

C            annum



34 VITA WILHELMI ROTHENSIS  
annum ita sustinuit, vt cum candido habi-  
tu candidos quoque mores coniungeret, &  
sedulam in omnibus Ordinis functionibus  
suarumque partium officijs operam collo-  
caret, quantum ætas illa tenera patiebatur:  
quin & supra ætatem illam puerilem plura  
agere deprehendi potuit.

## C A P V T V I.

*Tria solemnia vota emittit.*

**G**RAVITER profectò & sanctè sanc-  
tum esse nemo bonus ambigit, ne quis  
ad solemnem trium votorum emissionem  
admittatur, qui integrum prius annum  
Nouitialis tyrocinijs non exegerit, in quo  
& Ordinem cum suis oneribus, & humeros  
suos cum viribus experiri, & diligenti cogi-  
tatu omnia præmeditari, ac instructus præ-  
scire valeat: vt ita quid voueat, quantisque  
se vinculis adstringat, probè prius explora-  
tum habeat, ne cæcus in pedicas seipsum  
conijciat, aut in foveam præcipitet; cum in  
hac re momentum omnium maximum sit  
positum, & cardo præsentis ac æternæ vitæ  
vertatur. Secundùm hoc igitur pius & Deo  
iam antè deuotus Iuuenis, omnia Ordinis  
& Monasterij onera, suarumque virium va-  
lorem non perfunctoriè sed studiosè peri-  
clitatus,